

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Philosophia g
cum uariis

In philosophis enim fuit uenerabilis ymago uirtutis, dum sine fide et dilectione substantia uirtutis esse non possit. Et utinam, inquit, inueniatur in nobis qui uirtutis ymaginem teneat. Quis enim umbras uirtutum induit quibus uidemus floruisse gentiles? Quis enim Themestodis diligenciam, Frontonis grauitatem, Socratis continenciam, Fabricii fidem, pudiciciam Cipionis, longanimitatem Vlixis, Catonis pietatem imitatur, qui quasi quedam seculorum suorum sidera splenduerunt, tempora sua illustrantes? Sed quia Christum non cognouerunt, euanuerunt in cogitationibus suis superbia tumescentes, uera humilitate carentes, humanam gloriam appetentes, et seipsos esse sapientes estimantes et dicentes: Stulti facti sunt, Romanos I.

Hugo ibidem.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

Philosophia] Philosophus L²; substantia uirtutis *om.* C, uirtutis substantia P V¹ V² L¹ L²;
inquit *om.* C; teneat] tenent C, teneneat (*cor. intra*) M; umbras] umbra (*cor. supra lin.*)
M; uirtutum] uirtutis B; quis] quid M; Themestodis] Themestoclis V² L¹ L²; Fabricii]
Fabrici C; euanuerunt *om.* P V¹ V² L¹ L²; sunt] ad *add.* P V¹ V² L¹ L²; I.] 2. P, *om.* V¹ V² L¹ L²;
ibidem] II. *add.* V¹ V² L¹ L²